

~~G. 1124~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

V-37

SIGNAT. MDCCCXIII.

30
GYMNASMA LOGICUM
De
ORDINE ET
METHODO

Quod
Favente Deo Uni-Trino

In florentissima ad Albim Leucorea

PRÆSIDE

M. BALTHASARE FUHRMANNO

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ
ibidem Adjuncto.

Amico & placido examini

In Collegio Logico proponit & exhibet

DANIEL DUBRAVIUS Solnensis.

Die 27. Febr. horis locog. consuetis.

WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS GORMANNI.

ANNO M. DC. XIX.

Illustrissimo ac Magnifico Comiti ac Domino,

Dn. EMERICO THURZO D. B. F.

Comiti perpetuo de Arva, ejusdemque Comitatus
supremo ac perpetuo Comiti &c. S. R. M. tabulæ Ju-
diciariæ utriusq; Baroni & Assessori, &c.

*Dn. Patrono ac Promotori mihi perpetuâ, deditissimâq;
subjectione prosequendo.*

Itemque

*Admodum Reverendâ dignitate, eruditione incomparabili,
singulariq; vitæ integritate Clarissimo Viro,*

Dn. JSAACO ABRAAMIDI, HR.

Præposito Baimocensi meritissimo, Ecclesiarumq;
in Comitatus, Nitriensi; Posoniensi & Barsiensi Su-
perattendenti vigilantissimo, Dn. Fautori plu-
rimum venerando.

NEC NON

Viris Nobilissimis, Amplissimis atq; Consultissimis,

Dn. JUDICI, SENATUS PATRIBUS,

Civibusque omnium ordinum, patriæ meæ Solnæ specta-
tissimis: Dominis Mecœnatibus, fautoribus, & Ever-
getis æterno observantiæ cultu suspi-
ciendis

Exercitium hoc Academicum

Pro summis & immortalibus beneficijs
grati, animi *ὀφειλόμενα.*

*quale possum, non quale debeo
submisse sisto,*

Daniel Dubravius Solnensis.



Σὺν Ἰεῶ.

Positio, I.



Methodo neq; in animo, neq; in sapientis opere quicquam admirabilius, virbius ille Aristoteles, sapienter memorat. Eundem Anaxagoras munus divina mentis indigitat. Nec immerito. *Exer. 2. 5. 1.*

II. Ecquid enim magis iudicium docti iudicat & probat, quam decora τῆς? ecquid contra mentis stuporem magis arguit, quàm horrida confusio; ubi nec prima medijs, nec media imis coherant; ac ubi, quod dicitur, tibia galea, ocreaq; capiti aptatur? *In ordine sanè vel totius mundi* *In lib. de Mundo.* non dubitavit ponere naturæ illud miraculum: & dubitabit adhuc quispiam quidpiam eo esse, vel docentibus magis necessarium, vel discantibus utilius?

III. Quò autem nobilior, magisq; necessaria est Medothi doctrina, eò latet profundius, explicaturq; difficilius. Nihil enim de eà amplius, post amissos novem libros de Methodis, quos Laertius citat, in Aristotelicis scriptis, præter quasdam sententias hinc inde insperfas, & exempla, in scientijs & disciplinis ab eo accuratissimè primùm traditis, occurrentia, residui habemus.

IV. Ex illis nihilominus, adjuncto aliquot majorum gentium

gentium Philosophorum sensu, communiori; recentiorum assensu, ὄργανον hoc Logicum breviter ad veritatis trutinam examinatum, exercitijq; gratiā accuratius considerandum & examinandum proponere, nec operæ nec temporis futurum reor dispendium.

V. *Methodus* latè & ἐν ᾧ λέγεται hoc loco sumitur, prout, & Methodum propriè sic dictam, & Ordinem includit, diciturq; *babitus intellectus organicus, inserviens nobis ad rerum cognitionem adipiscendam.* Spectatur enim hic non ut alicui disciplinæ applicata, vel ut est disciplina ipsa hoc organo probata aut tradita: Sed ut est ὄργανον speciale disciplinis tradendis aut probandis accommodum; uno verbo; ut est Docens, non ut Utens.

VI. Estq; vel *Syllogistica & Demonstrativa*; vel *Ordinativa, sive progressiva.* Utraq; instrumentum: utraque comparata ad disciplinas constituendas, tradendas & propagandas: utraq; deniq; à notioribus; hæc quidem cognitione tantum dirigente & distincta, vel in genere pro viribus cujusq; facultatis, vel simpliciter; illa etiam agente, sive confusâ sive distinctâ: hæc sine illatione, illa non absq; eadem. Breviter Laconico illo Cl. Ph. Dr. Jacobi Martini scito; *hec, cum dico, hoc post hoc; illa, hoc, ergo illud.*

lib. 1. de Metb
in Introd. ad
civil. Phil. c.
13.
Keck. l. 3. Syst
Log. s. 2.
Hipp. probl.
Log. 46.

VII. De hæc verò sive distinctione, sive divisione adeò unanimes & concordēs extitisse Philosophos, autor est Zabarella, *ut suis temporibus nemo aliam sententiam proferre aut excogitare ausus fuerit*: ideoq; eandem Piccolomineus *ut notam* præsupponit. At recentiorum quidam se nescire dicunt an distinctio ista sit magni usus; nec tale quid ex Aristotele firmiter probari posse: quidam nescio quas in Scholâ Philosophicâ turbas dedisse

disse comminiscuntur, novum hoc, (*ita loquuntur*) à Zabarella introductum discrimen: unde iidem statuunt Methodum & Ordinem *συνώνυμα* esse, ita ut quicquid Latini Ordinem vocent, id Græcis sit *μέθοδος*.

IIX. Verum quicquid illi dicant, certum est. 1. distinctionis istius usum facile patere, vel exinde: quòd si per Methodum solam Ordinativam intelligeremus, vix ulla dari posset ratio, cur de eâ in Logicis in tertiâ mentis operationis notionibus discursum formantibus, & quidem in doctrinâ Demonstrationis (*non enim est probanda eorum sententiâ, qui quamvis in Logicis de Methodo tractandum esse fatentur, id tamen non nisi in prolegomenis, vel in ipso sine Logices faciunt*) agendum esset. De illis enim eò loco solùm agitur, quæ finem habent scientiam. Ordo autem per se tale nihil intendit: ideoq; duntaxat quatenus collimat ad Methodum specialiter sic dictam dicto loco pertractatur.

IX. 2. Non negamus Aristotelem in multis locis Methodi vocem pro disciplinis ipsis usurpasse, uti Top. 2. 3. & alibi: hoc ipso tamen idem innuere videtur Methodi vocem utrumq; instrumentum tam Demonstrativum, quàm Ordinativum significare. Dicuntur enim disciplinæ Methodi, quia Methodo tractantur. Quæ autem illa est Methodus? non sanè solus ordo: aliàs in arte nihil nisi definitiones & divisiones haberemus, hoc est, *σκέλετον* artis, sine succo, sine sanguine. Necessariò igitur fatendum est accedere rationem probandi, colligendi & demonstrandi, hoc est, animam Ordinis, discursum demonstrativum, qui æquè atq; Ordo sit & dicatur Methodus.

X. 3. Ipsum deniq; nomen Methodi non tantum Ordini, sed & Demonstrationi, sive Methodo specialiter sic

à Philosophis dictæ aptari posse, nemini dubium esse potest, qui vim vocis expendit. Est quidem via quædam, etiam in Syllogismo, formaliter sumpto, sed tantum simpliciter à positis, & ob hanc rationem Syllogismo nomen Methodi assignatur 1. prior. Anal. c. 22. &c.; in Demonstratione verò via est à noto ad ignotum. Unde hæc dici posset Methodus materialis: illa, formalis. Dices: Aristotelem nullibi ita locutum. Fateor. Nec propterea falsam tamen istam appellationem; nisi isti ipsi ejus oppugnatores suos omnes novitios terminos, Aristoteli nunquam cognitos, cum re tamen consentientes non rarò, eodem gladio iugulare velint.

XI. Methodus *Ordinativa*, sive Ordo, finitur *habitus instrumentalis*, quos in disciplinis tractandas ante, vel post collocamus, ut quantum fieri potest optimè & facilimè illa disciplina cognoscantur.

XII. Excluditur hinc 1. ordo Rhetoricus, Poeticus, & Historicus, de quibus verum esse potest illud Poetæ Venusini:

Epist. ad Pis. *Ordinis hac virtus est, & Venus, aut ego fallor,
Ut jam nunc dicat, jam nunc debentia dici
Pleraq; differat, & presens in tempus omittat;*

2. Rerum, quo res ex se, inter se connexæ sunt; 3. Accidentarius, qui non est curæ arti: attenditur autem 4. solus ordo Doctrinæ, cujus ratio è meliori & faciliori nostrâ cognitione, naturâq; rerum, ut à nobis cognoscendarum, non ut nobis naturæ ductus extra intellectum in ipsis rebus monstratur, sumenda est. Rerum enim hîc solam cognitionem, non generationem quærimus.

XIII. Res quidem in scientijs proponi debet ut est, non

non ut fit, quò talis exponatur menti, expliceturq; in
disciplinis, qualem habet naturam in ESSE: tali ve-
rò ordine, qui à mente nostra melior, & facilior judi-
catur.

XIV. Debet enim ordo mensurari à naturâ & com-
moditate nostri intellectus; non à rebus ordinatis: ab
his siquidem solæ scientiæ & disciplinæ tractantes de ijs-
dem commensurari possunt:

XV. Cum verò contingere possit, res tractandas à
nobis, æquè esse ignotas, ut dubium sit, unde melior &
facilior cognitio auspicari suadeat, tunc scribentis ar-
bitrium liberum esse fatemur, ut vel ordinem naturæ,
vel perfectionis, vel aliquem alium, pro arbitrato suo
servet.

XVI. Addimus insuper, in Ordine Compositivo,
de quo paulò post, servari magnâ ex parte ordinem na-
turæ generantis: cujus tamen ratio sit itidem melior
& facilior nostra cognitio. Ut plurimum enim ordo
melioris & facilioris doctrinæ, insequitur ordinem na-
turæ, & hic illius gratiâ servatur, quando servatur.

XVII. Quo posito nullo modo approbanda est sen-
tentia Keckermanni, statuentis, *Ordinem, naturam pri-* l. 3. Syst. Log.
mariò, nostram verò cognitionem tantum secundariò respi- p. m. 585.
cere. Quod enim Ordini accidentarium tantum est,
ut demonstratum tb. preced. illud primariò ei nequa-
quam competit. Quinimo quibus rationibus negat
Keckermannus ordinem duci à meliori nostrâ cog-
nitione primariò, ijsdem probari posset, nec secundariò
id verum esse: quod tamen idem autor liberaliter lar-
giri videretur.

XIIX. *Methodus ista Ordinativa, vel est Universa-*
lis,

lis, quâ tota aliqua ars disponitur; vel *Particularis*, quæ partes tantum aliquas disciplinæ respicit.

XIX. Utrobique cavenda inanis *περιοσολογία*, mancaque brevitatis: studiosè servanda cum rerum tractandarum finitudo & determinatio, tum partium varietas, earundemque conveniens *συμμετρία* & *παναρμονία*; debent enim res inter se aptè tanquam lapides calce conglutinari, ut in quolibet ingenij opere, non informis coærvatio, & sine omni decore, sine ullo fructu, rudis indigestaque moles; sed artificiosa & decens structura prodeat, prout alicubi loquitur Quintilianus: Videndum denique ut partes ordinis omnes sint homogeneæ; quis enim ferret, si

Horat. l. d.

*Humano capiti cervicem pictor equinam
adderet?*

XX. *Universalis*, à Scopo duplici, qui est cognitio rei, vel propter seipsam, vel ut acquisitam ad operationem dirigamus, duplex esse evincitur: altera *ἀπὸ τῶν ἀρχῶν* *Synthetica*, altera *ἐπὶ τὰς ἀρχὰς*, *Analytica*.

XXI. Altera enim à primis rei principiis exordiendo ad principiata pervenire nos facit: Altera à notione finis, qui ab homine liberè operante produci & generari potest, ad cognitionem principiorum & mediorum ad illum finem ducentium nos deducit: utraq; melioris & facilioris cognitionis gratiâ.

XXII. Hunc verò finem consequuntur isti ordines, definitionibus, divisionibus ac regulis itemque præceptis veris Methodicis, verbisque propriis ac perspicuis informatis, suis quisque in disciplinis.

In Introd. ad
civil. Phil. c.
22.

XXIII. Non enim illos cothurnum quendam esse, utribusvis, sive practicis, sive theoreticis disciplinis ex
aquo

æquo aptum Piccolomineo concedemus: nec Timple-
rum ordinem Syntheticum tantum inventioni artium;
Solum verò Analyticum docendis & constituendis ijs-
dem alligare sine ratione patiemur.

*Technol. c. 2.
probl. 6.*

XXIV. Quin potius cum Zabarellâ, alijsq; Philo-
sophis, ordinem Syntheticum solis contemplativis, ex 1.
Phys. 1. analyticum verò artibus disciplinisq; alijs ope-
ratricibus, ex 7. Metaph. t. 23. assignamus. Nec enim
possibile est disciplinam operatricem aliter quàm finis
prænotione cognosci, cum verum sit *ἐν τοῖς πρώτοις* *7. Eth. 8.*
τὸ ἔσθ' ἐνενκα ἀρχὴν εἶναι: nec scientiæ exactam parient co-
gnitionem, nisi à primis usque principijs repetantur.
Unde nec ipse Aristoteles his methodis aliter usus est, ut
patet ex libris ejus Physicis, Ethicis alijsq;

XXV. Nec verò in speculativis finis prænoscutur, si
statim initio causæ finales ponantur. Aliud enim est
Methodus Demonstrativa à causâ finali; aliud ordina-
tiva sive progressiva ab artis fine: aliudq; item omnino
est finem in proemio scientiæ ponere, aliud in ipsâ
tractatione exordiri à notione finis; hoc enim est uti
ordine resolutivo, non illud.

XXVI. Animadvertendum præterea est, progres-
sum horum Ordinum non considerari, ut ab unâ di-
sciplinâ ad alteram; sed ut in unâ tantum. Atq; id rur-
sum ratione totius solummodò disciplinæ, non ratio-
ne singularum partium; quæ varijs de causis variè tra-
ctari possunt.

XXVII. Hæc tamen in partibus varietas arbitraria, nul-
lo modo unitatem ordinis respectu totius scientiæ im-
pedit: ordo enim totius scientiæ est etiam ordo o-
mnium partium, prout totius partes sunt, & totum i-

B

psum-

psum constituunt, ut eruditè loquitur & demonstrat
acutissimus Philosophus Zabarella. lib. 2. de Meth.
c. 22.

XXIIX. Uterq; ordo habet etiam suas partes. *Syn-
theticus subjectum principia & affectiones.* Illud præcogno-
scitur, quod sit, quid sit, & quod habeat propria princi-
pia & affectiones: ista quid sint, & quid significant: hæ
solum quid significant, idq; non modò ea quæ insunt,
sed & quæ non insunt. *Analyticus finem, subjectum in quod,
& media per quæ finis introducitur, pro partibus sibi ven-
dicat.* Finis cum accidentibus quæ pertinent ad inven-
tionem, non ad possessionem aut usurpationem, me-
diorum, prænoscitur quod sit, seu quod produci pos-
sit, immò etiam quid sit, rudi quâdam descriptione:
Subjectum quod sit, quod finis capax sit, quodque ejus
habeat propria accidentia: Media deniq; non præno-
scuntur, sed tractantur.

XXIX. Cum verò finis sit in practicis, quod sub-
jectum in speculativis, & hoc & ille in unitate, sive
Synonymicâ, sive analogicâ, consistent oportet: ab
hâc enim unice pendet unitas disciplinarum.

XXX. Duo itaque tantum sunt ordines univer-
sales. Nec enim progressus à generalibus unum, ex
sententiâ Rami, arguet; cum is sit utriusque ordi-
nis longè diversissimus: nec Definitio, quæ proemium
tantum est, distinctum à tractatione, à quâ auferri
facile potest, salvâ ejus integritate; aut alij acciden-
tia potius Ordinis, quàm ordines, plures species effi-
cient.

XXXI. Ac definitio quidem si ordinem peculia-
rem constitueret, eundem solum & unicum in omni-
bus scientijs ac disciplinis haberemus. Quæ enim causa
vel

vel probabilis faltem dari posset, cur non omnes ordine hoc definitivo scriptæ dicendæ essent; cum ex Platonis scito ab Aristotele 1. Eth. 7. confirmato, & à Cicerone lib. 1. Offic. interpolato, omnem cum rectâ ratione institutam tractationem à definitione auspicari debeamus. Hæc de Ordine Universali.

XXXII. *Particularis præcepta singularia tradi vix possunt, cum ut plurimum sit arbitrarius, eamq; ob causam vel à nobiliori, vel à difficiliore, vel à magis urgente, aut simili; principaliter tamen ab eo quod facit ad cognitionem sequentium, exordium sumens.*

XXXIII. Duplex autem nihilominus esse potest: *Thematis videlicet simplicis, vel conjuncti.*

XXXIV. *In simplici, vocem, an abstracta vel concreta sit, expendimus; postea notationem, homonymiæ explicationem, genus, causas; in substantijs quò ad essentiam internas, quò ad existentiam etiam externas; in accidentibus has solas, itemq; objectum & subjectum ponimus; quæ accidentia si singularia sint circumstantias addimus: postremò definitionem, divisionem, cognata, diversa & opposita, pro arbitrio nostro, vel commoditate rei adjungimus.*

XXXV. *In Conjuncto, status ac Status cognitio & positio, hypothesiumque præsuppositio antecedit: tum thesis propria firmetur; adversarij ponatur & refutetur; objectionibus solutis vera repetatur: aut si qui sunt alij eruditis probati & usurpati modi. Hactenus de Methodo Ordinativa.*

XXXVI. *Methodus Demonstrativa, propriè sic dicta, est intellectuale instrumentum, quo per ordinem disposita probamus, ob perfectam rerum cognitionem. Estq; iterum vel Synthetica, quæ idem est cum ἀναδειξι & δίων, sive à*

1. Post anal.
1.8. & 9.

priori ac potissima, ideoq; definitur itidem ut illa: *Syllogismus ἀναλυτικὸς ex necessarijs, veris, primis, immediatis notioribus, prioribus & causis conclusionis: vel Analytica* cujus species sunt *Demonstratio ab effectu & Inductio*, quæque eo incidit cum *Demonstratione τὸ ὄν*, sive à posteriori, ac *διὰ ἀναγωγῆς, est q; Syllogismus ex propositionibus necessarijs, à rebus posterioribus & effectis notioribus ad priorum & causarum inventionem ducens.*

XXXVII. Nullam præterea speciem nos Aristoteles in suis posterioribus analyticis docuit: in quibus ille solam Syntheticam & potissimã primariò; resolutivam verò tantum secundariò pertractavit, ut cuiuslibet libros illos diligentius consideranti planum esse potest.

1. Post anal. t.
64.

XXXIIX. Divisio itaq; , quam aliqui Methodi speciem tertiam esse putarunt, ministra potius ordinis, quàm Methodus est. Definitio autem, si substantiæ sit, principium est notum Methodi Demonstrativæ, finisq; ignotus Resolutivæ: si Accidentis, imperfecta quidem, est vel principium, vel conclusio Demonstrationis; perfecta verò demonstratio ipsa est, solo differens terminorum situ: at quia per se nullum Syllogisticum processum includit, sed est simplex quædam essentia expressio, adeòque finis omnium Methodorum, Methodi demonstrativæ speciem nec ipsa constituit.

2. Post anal.
1. 42. 43.

XXXIX. Nullo enim alio Logico instrumento indigemus ad probandũ & colligendũ ex noto ignotũ. Substantias siquidem definitione perfectã cognoscimus, quæ si nota, nulla eget Methodo, si ignota, ab effectu aliquo notiore (*non enim essentia substantiæ à causâ externâ pendet*) declaratur. Accidentis verò si commune est, sub scientiam non cadit, si proprium causam externam habet, non semper loco aut subjecto sejunctam

etiam, sed extra suam existentiam consistentem, per quam à priori demonstratur.

XL. Atq; hæ ambæ Methodi demonstrativæ, si adjunctum habuerint comitem individuum ordinem, perfectam rerum scientiam præbere possunt: cum aliàs hic sine illis nihil doceat, & illæ sine hoc vix cum summo discantis labore perfectam scientiam pariant.

— *Alterius sic,*

Altera poscit opem res & conjurat amicè.

Ideoq; & hic & illæ observentur, Philosophiæ adyta penetrare volentibus; nec in alterutris acquiescendum, sed conjungenda conjunctim usurpare allaborandum.

Corollaria.

1. *Aristoteles non est culpandus, quod in libris Logicis, doctrinam de Ordine neglexit.*

2. *De eodem non in Metaphysicis, aliâve disciplinâ agendum, sed in Logicâ tantum.*

3. *Methodus propriè sic, dicta in solis scientijs locum habet: in practicis verò tantum proportione quâdam, pro subjectæ materiæ capacitate. Zab. l. 2. de N. L. c. 14. Arist. 1. Eth. c. 3.*

4. *Divisionis utilitas non in notificando, sed in disponendo est sita idem l. 3. de Meth. c. 10. idq; maximè ejus, quæ est generis in species, cui succedit Partitio, vel primaria, quâ-ii proprij vel secundaria, improprj, ut libri in partes tractationis, capita, &c. (de quib. id. l. d. c. 6. Jacob. Mart. Inst. Log. l. 4. c. 31. p. 466. Keck. l. 1. Syl. Log. 5. 2. c. 3. p. m. 256, cujus sententiam approbat rursus Dn. Jacob. Mart. in Prælect. extemp. super eundem p. 375. eademq; exemplis innumeri autores firmanunt.) itemq; quæ dicitur accidentis Zab. l. d.*

Tantum

Tantum est: sed leve, sed tenue est, satis & breve & rude,
 Examini quod sistitur diserto (istud
 Vestro collegæ, lectissima cohors Sed immò nil est
 Quod sistitur tantis tamen patronis,
 At vos quod leve, quod tenue est, satis & breve & rude,
 Polite collegæ mei erudito (illud,
 Discursu. Vobis quod sistitur optimi Patroni
 Quamvis nihil sit, maximi instar esto.
 Velle etiã est aliquid: nam non datur omnibus facultas
 Gratumq; facere est vel potis voluntas,



Ornatissimo, Doctissimoq; Dn. Respondenti,
 θεοῦ αὐτορι.

Thesa dispositis filo quod carmina nervis
 Evasisse stupent Labyrinthi transtia retorti;
 Plinius & quod apim canit amplis tecta rosetis
 Mella, sat alveoli concludere fornice pressi:
 Hoc mea jam prasens dignatur vena genimen.
 Nam dum Musa citos volvens absq; ordine gyros,
 Pallet in immensis rerum, errorumq; ruinis,
 Certior hãc Methodi renitentis stamine facta,
 Exultat, lateq; suos miratur odores:
 Qui prius indomitis errabat & alveus undis,
 Strictior en, paret; xipisq; minoribus actus
 Utilis, enixum Methodi decantat honorem.
 Hãc ergo tradux celebreris origine fœtus,
 Augeat extrusos lato Deus omnine culmos,
 Post vebat auratis patrie te ut gloria pennis.

Patriæ, exq; fidæ conjunctionis ergò
 Zacharias Lanl. T. apposuit.

Præpo:

Preponenda, prius ponis, que ponere pergis,
Omnia prädico, firma futura, tibi;
Preponis Logicen reliquis, imponere tuto
Cætera jam poteris, sat bene cedet opus,
Sat bene cedet opus, nam te comitabitur ævum
Laus, siquidem tali parva labore, manens.
Hoc fiet, Verum primò certare necesse, &
Vincere, Victores premia tanta manent:
Ergò, cum certes, certanti suggeret alto
Ipse Deus vires, sit dubitare nefas,
Illum promitto Clypeum tibi, Præsides tanto
Vincere te nullus fraude Sophista valet;
Insuper, est Auriga tibi, FURMANNUS, habenas
Rite regens; quare, VICTOR ES, omnis ait.

L. Mg,
Suo Dn. Populari
Casparus Pühlerus Novosol.
Pannonius.

Phoebea quantum fax micat
Inter nitentes Plejadas
Tantum suis ORDO rosis
Vernat sophorum in pulpitis
Tu dum λόγος servas viam
Rectâ tuam messem locas
Herbâ, & rosarum germine
Sic maeste post foetu pari

Telum-

Telamq; coeptam duc vigil,
Coelo Deus juxtim favos
Dulces dabit, queis cum soli
Prêhendas honores & poli,

Debita familiaritatis nomine

Michael Sinapius Beczkoviensis.

F I N I S,



21 mg. VI 37


ULB Halle
003 913 872 3



Sl.

V3 17







B.I.G.

Farbkarte #13



30

LOGICUM

NE ET

ODO

126

Uni-Trino

Albim Leucoreà

I D E

FUHRMANNO

tis Philosophicæ

adjuncto.

cido examini

roponit & exhibet

A V I U S Solnensis.

locoꝝ consuetis.

Humaniſmū. Doctꝝ

ERGA, *Dr. Jeremia*

S GORMANNI, *Combr. M. Gorm.*

DC. XIX. *hæcq; mun. do e*
ueterem

